

C V I S

1 6 3 6




- I Eberhardi Speckhan Centuria Terha
- II Disputationes Iudicæ.
- III De lris Denunciacione D. Böhemii
- IV De Inimicis et Famosis libellis D. Grossii
- V De Felonia D. Sederen.
- VI De Concurſu ac prelatione Creditorum D. Strauchii
- VII Disputatio quaestiones Iudicæ solutivas gincus D. Carpovii.
- VIII Disputatio de iure potandi.

EX LIBRIS  
 ILLUSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATUS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS.

Wb. 38.  
 2.























III.  
DISPUTATIO JURIDICA

an 2

De  
**INJURIIS ET  
FAMOSIS LIBELLIS.**

Quam  
DEO Auxiliante

ET

*Approbante in Illustri ad Albim Ictorum ordine*

PRÆSIDE

*Viro Amplissimo Consultissimo & Excellentissimo*

**Dn. HENNINGIO Grossen**

J. U. D. Profefs. Publ. Curia Electoralis & Facul-  
tatis Juridicæ, nec non Judicij Provincialis in inferiori Lusatia  
Assessore gravissimi & Serenissimi vidua Elect. Saxonie in Lich-  
tenburg &c. consiliario, Domino Præceptore & Promotore suo  
æterno honoris & observantiæ cultu prosequendo.

*Placida disquisitioni publicè proponit.*

**CHRISTOPHORUS von JENA** Servesta  
Anhaltinus.

Habendam ad diem 14. Novembr. In auditorio  
Ictorum horis à 7. matutinis.

---

WITTEBERGÆ,

Excusa typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XXXV.



V I R I S

*Amplissimis Prudentissimis Doctissimis Reipub. Servestanae Consulibus primariis,*

**Dnis.**

**Joachimo Hanisio  
M. Eliæ Schmidio  
Zachariæ Fingerlingio  
M. Petro Bon Zena**

*Istis Patronis honorandis  
Huic Parenti venerando*

*Ingrati animi πικρήμον  
bas studiorum suorum  
primitias*

d. d. d. d.

**A. & R.**

IN NOMINE DOMINI  
NOSTRI JESU CHRISTI.

I.



Um vocabulum injuriæ variè in jure nostro accipiatur, operæ pretium duxi, & quidem absque longiori verborum amfractu, cum satis constet, de utilitate & frequentia hujus materiæ in foro, quomodo nos istud accipiamus, præmittere.

Accipit ut autem injuria in jure nostro tribus potissimum modis (1.) Pro damno culpa contra jus dato, etiam ab eo, qui nocere noluit. *l. sed et si § 1. ff. ad L. Aquil.* (2.) accipitur injuria pro iniquitate & injustitia, quam exercet judex vel per imperitiam, vel per imprudentiam qui iniquè & injustè sententiam fert *l. 1 in prin. ff. de appellat. § 1. inst. de oblig. quæ ex q. delict. nasc.* (3.) & ultimo accipitur pro contumelia sive reali sive verbali *l. 1. in prin. l. Prator edixit 7. §. atrocem 7. l. injuriarum actio 13. §. si quis 4 ff. de injur. & famos. libell.* quando quid sit in alterius contentum sive infamiam *l. item apud 15. §. ait Prator 25. ff. b. t.* Atq; in ista significatione nos injuriam accipimus.

II.

Est ergo injuria delictum privatum (a) quo quis dolo malo (b) liberi hominis (c) vel pulsatione corpus, vel convitio dignitatem vel famam lædit (d) ipso invito. (e)

(a) Veteres juris autores connumerarunt eam inter privata delicta *l. fin. l. injuriarum causa 7. C. de injur l. sed si § 4 ff. cod.*

A 2

(b) Max.

(b) Maximum enim & præcipuum requisitum hoc est, ideoq; & tota injuria pendere dicitur ex affectu facientis, factaque non dicitur injuria, nisi animus adfuerit *l. illud. 3. §. 1. ff. b. t. semper* quoq; præsumtio est contra injuriantem, cum fecerit quid, quod legibus & moribus prohibitum est unde cogitur probare animum injuriandi abfuisse *l. si non convicij 5. C. b. t. & qui aliquem per accidens & invitus percussit injuriarum non tenetur l. si cum 4. ff. eod* vel etiam qui probare potest, se animo castigandi vel conservandi juris publici causa fecisse *l. quod Reipub. 33. b. t. vel per jocum dixisse l. item 15. §. si quis 13. eod. VVesenb. w. b. n. 8. circ. fin. Harpr. ad prin. inst. b. t. n. 5. in maleficijs enim voluntas & consilium, non exitus spectatur l. Divus Hadrianus 14. ff. ad L. Cornel. de sicar. l. 1. §. Divus Hadrianus 3. ff. eod. l. fraudis interpretatione 29. ff. de R. J. quæ ex improvise casu potius quam fraude accidunt, fato plerumque non noxæ imputantur l. 1. C. ad L. cernel. de sicar. l. 5. C. eod.*

(c) Servis autem ipsis nulla fit injuria §. *servis autem 3. inst. b. t.* quia servorum nulla est in jure civili dignitas *l. 3. ff. de capit. minut* sed dominis per eos fieri videtur, non tamen iisdem modis, quibus per liberos, sed tum demum, cum quid atrocius commissum sit, quod aperte ad contumeliam domini respicit *d. §. servis autem 3. l. item apud 15. §. si quis 35. ff. eod.* Non quoque ex omni injuria prætor permittit actionem pro injuria servis illata, nam si leviter percussus, vel ei maledictum sit leviter, non dat actionem *d. l. item apud 15. §. itaq; prætor 44.* Sed hoc potius prætori remittendum, an danda actio vel non, an quoque bonæ frugis sit ordinarius dispensator vulgaris, vel qualis qualis *d. l. 15. §. 44 ff. b. t.*

(d.) *l. 1. §. omnemq; 2. ff. b. t. d. l. item apud 15. §. ait prætor 25. ff. eod.*

(e) Volenti enim non fit injuria *l. 1. §. 5 ff. b. t. l. in diem 9. §. 1. ubi nullam injuriam accipit qui semel voluit ff. de aqua & aque pluv. arcend. l. cum donationis 34. c. de transact.*

### III.

Dividitur injuria in Verbalem (a) & Realem (b.)

(a) *l. 1. §. 1. ff. b. t. verbis fit, quoties manus non inferuntur* sed



sed convicium fit, cum autem ejusmodi verbalis injuria varijs fiat modis, aliquot eorum libet recensere, ut puta si quis aliquem vocitet homicidam *l. si non convicij* §. C. b. t. scurram, nebulonem, vel bastardum *Damboud in sua pract. crimin. c. 136. n. 4. VVesenb. in w. b. t. n. 8.* vel etiam Judæum, proditorem, usurarium cucurbitam [Germanicè *Einem Hanrey*] vel honestam matronam meretricem *Harpr. ad §. injuria autem* i. inst. b. t. n. 52. *Berlich. p. 4. conclus. 59. n. 43.* vel infamem *Matth. de affl. et. c. 1. §. injuria punitur* tit. de pace jurament. firmand. n. 9. sub fin. vel si allegat judicem suspectum, & causas suspicionis probare nequit *Bl. in c. super x. de offic. judic. deleg. vel etiam idoneum fidejussorem recusat* *l. si vero* §. 1. ff. qui satis d. cogant. *Dan. Moller. lib. 2. semestr. c. 4. n. 16.* item verbales injuriæ sunt, si quis alicui naturæ vitia exprobaverit, dicendo quod sit surdus, mutus, cæcus, strabo, monoculus, gibbosus & ejusmodi similia *Damb. in sua pract. crim. c. 136. n. 4. Harpp. §. injuria autem* i. inst. b. t. num. 98. item si quis alicui exprobaverit illum facere falsam monetam, quod tamen probare non poterit *Socin. cons. 118. n. 1.* item qui in præsentia & conspectu honestarum matronarum turpibus utitur verbis *d. l. item apud 15. §. qui turpibus* 21. ff. b. t. item qui blanda oratione alterius pudicitiam attemnat *d. l. item apud 15. §. 20. & 22. ff. eod.* item & hoc pro injuria verbali computari solet, si quis ad alterum dixerit tu mentiris *Schneid. ad §. injuria* i. inst. b. t. *Harpp. eod. loc. inst.* ipse tamen vera ut protulerit necesse est, alias actio hæc locum non habet, & animus injuriandi ut adsit opus est, injuria enim absque animo injuriandi non est injuria ut ex *sup. dd.* patet, generaliter quodcumq; quis fecerit vel dixerit, ut alium infamet, actione injuriarum tenetur *d. l. item apud 15. §. generaliter* 27. ff. b. t.

(b) Re sive realis injuria fit, quando manus alicui inferuntur, ita ut corpus verberibus afficiatur *d. l. 1. §. 1. ff. b. t.*

#### IV.

Porro injuriam dividimus in levem (a) & atrocem (b) & quidem ratione locorum (c) Personarum (d) vel temporis (e) vel facti (f)

A 3

(a) Leve<sup>s</sup>

(a) Leves injuriæ reales de jure quidem Saxon. vocantur ea vulnera, So nicht Schwellen oder Fleischen/Blurrüsten vulnus non sanguinolentum, Braun vud Blaw id est vulnera so mit Knieteln oder Steinen geschlagen oder geworffen/ item si quis crines vel barbam alicui expilaverit, Haarrauffen so nicht schwillet Georg. Schulz in synops. inst. b. t. lit. d. vers. leves autem injuriæ Coler. decis. 161. n. 57. alapæ inflictio Berlich. p. 4. conclus. 59. n. 87. si quoq; non solum verbera inferat, sed si modo adducta manu quasi vapulaturus fuste, gladio minetur l. item apud 15. §. n. ff. b. t. VVesenb. in π. b. n. 7. vel si quis alicujus literas resignet, aut celet VVesenb. in π. b. d. n. 7. si quoque quis domum absentis debitoris signallet sine consensu vel autoritate ejus, qui concedendi jus potestatemque habet, puta magistratus l. si injuria 20 ff. b. t. vel si quis ad invidiam alicujus veste lugubri utatur, aut squalida aut si barbam demittat, vel capillos submittat d. l. item apud 15. §. generaliter 27. vers. hæc autem l. vestem 39. l. sed est 9. ff. eod. Schneid. §. injuria inst. b. t. n. 25. Berlich. d. conclus. 59. n. 101. hic quoque connumerantur talia vulnera, quæ infliguntur capiti, non transeuntia per cranium, item effractio dentium & digitorum in manibus pedibusque col. d. deci si 161. n. 58.

(b) Hæc quæ sint facile ex ijs, quæ præmissimus de verbalibus & realibus levioribus injurijs dignosci possunt, quando alicujus corpus vel fama gravissime læditur l. 7. §. atrocem 7. ff. b. t. In der P. H. D. art. 22. ubi recensentur vulnera, quæ quidem atrociora sunt, ut sunt Lambden/Rämpffer / Fleischwunden/ Weinschrötiges offene Wunden Schandmahl/ quomodo verò ex longitudine, latitudine vel profunditate hæc vulnera possint agnosci vid. P. H. D. d. l. ubi ordine explicantur.

(c) Ex loco corporis vel extra corpus: Ex loco corporis, veluti si quis violetur in capite vel oculo, vel quacunq; corporis parte l. vulneris 8. & l. prætor edixit 7. §. fin. ff. b. t. Extra corpus: veluti si cui in theatro, vel in foro, vel etiam in conspectu prætoris injuria facta sit §. atrox 9. inst. b. t. l. sed est. 9. §. 1. ff. eod.

(d) Ut si ab humili persona vel plebejo viro alicui in dignitate constituto, ut Magistratui vel Senatori injuria inferatur d. l. 7. §. fin. aut etiam parenti à liberis, aut patrono à libertis §. atrox 9. inst. b. t.

b. t. d. l. 7. §. fin. ff. eod. vel libero homini à servo, injuria namque  
crescit ex persona delinquentis l. sed si 17. §. quadam 3. ff. b. t.

(e) Veluti si fiat tempore convivij, vel ludorum & in conspectu  
d. l. 7. §. fin. ff. b. t. vel si quis est in sacerdotio & dignitatis habitu  
constitutus l. atrocem 4. C. eod. Schneid. & vult. ad d. §. atrocem  
9. inst. b. t.

(f) Interdum vulneris magnitudo atrocitatem facit l. vulne-  
ris 8. ff. b. t. interdum quando quis vulneratus vel fustibus cæsus  
est §. atroc. inst. b. t. d. l. prator 7 §. fin. ff. eod. Schneid. d. §. inst. Par-  
vi autem refert, utrum patri familias, an filio familias injuria fue-  
rit facta. V.

Causa Efficiens injuriarum harum præmissarum, sunt  
homines mentis compotes (a) doli capaces (b) & con-  
tumeliæ animo quid facientes (c).

(a) Furiosus & impubes injuriam facere non possunt, quia doli  
capaces non sunt l. illud relatum. 3. §. 1. ff. b. t. infantem autem in-  
nocentia consilij tuetur, furiosum fati infelicitas excusat, l. in-  
fans 12. ff. ad L. Cornel. de sicar. Pati quidem ejusmodi personæ in-  
juriam solent, non autem facere, cum injuria ex affectu facientis  
consistat d. l. illud relatum 3. ff. b. t. l. si non convicij 5. C. eod. l. qui  
injuriam 53. ff. de furtis furiosus & infans animum habere non præsu-  
muntur & pro absente furiosus habetur l. sed si unius 17. §. 11. ff. b. t.  
l. 2. §. 3. ff. de jure codicill. l. Fulcinius 7. §. adeo autem 9. ff. quibus  
ex caus. in possess. eat. l. 124. ff. de R. J. l. sed si 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.  
l. congruit 13. in fin. ff. de off. præsid. Hic autem Quæri posset, An e-  
brietas excuset à pœna injuriarum? Nobis quidem arridet distin-  
ctio Gailli, qui inter ebrietatem Trunckenheit & ebriositatem,  
Untrunckenheit/Bewohnheit voll zu sein/ primo quidem casu, si  
alicui injuriam fecerit & post edormitam crapulam pœnituerit  
ipsum non teneri per can. venter dist. 35. c. sane & c. inebriaverunt  
15. q. 1. l. omne delictum 6. §. qui se 7. vers. per vinum ff. de re milit. l.  
unica C. si quis Imperat. maledix. nulla enim in ebrijs est ratio, nul-  
lum vitæ gerendæ rectum consilium, nec ulla gestorum memoria,  
immo vitam edormire dicuntur in c. à crapula de vit. & honest. Cle-  
ric. Treutl. vol. 2. d. 30. th. 6. lit. à. Harpp. ad §. non solum 11. inst.  
h. t. n.

2.

*b. t. num. 15. Gail. lib. 2. obs. 110. n. 24. quia ebrius furioso & ortuo comparatur in d. can. venter dist. 15. Altero casu, quando quis ex consuetudine ebrius est, eum non excusari statuunt, sed potius duplici poena afficiendum eum esse, Arist. lib. 5. Ethic. Porro quaeritur, An qui in calore iracundiae constitutus est, & injuriam perpetrat, actione injuriarum teneatur? Nos si in supremo iracundiae calore constitutus est, eum non teneri statuimus, si modo post iracundiam sedatam poeniteat facti illudque revocet. *l. divortium 3. ff. de divort. & repud. c. si quis iratus 2. q. 3. Petr. Greg. Tholosan. in syntagm. jur. lib. 38. c. 7. n. 16. ubi nec verba irati nimium, & paulo post dictorum poenitentis ad iudicium trahenda, hæc quæ jam diximus, accipi volumus de verbalibus injurijs, non de omnibus. Aliud enim statuimus in atrocioribus.**

(b) *d. l. illud relatam 3. §. 1. ff. b. t. l. 2. §. 19. ff. in honor. raptor. ex his LL. videmus nullum delictum posse perpetrari nisi is qui perpetrat sit doli capax l. impuberem 23 ff. de furt.*

(c) Ex affectu enim facientis consistit injuria per *d. l. 3. §. 1. ff. b. t. l. 5. C. eod. unde si quis per jocum percutiat vel aliquid dicat, injuriarum non tenetur d. l. 3. §. 3. ff. b. t. d. l. item apud 15. §. 23. ff. eod. l. obligationum 3. §. 2. ff. de O. & A.*

## VI.

Afficitur autem injurijs supra dictis vel mediate (a) vel immediate (b).

(a) Per consequentiam scilicet, quando per personas potestati suæ subjectas patitur quis injuriam, ut puta pater per filium *l. 1. §. 3. l. eum qui 18. in fin. l. pater 41. ff. de injur. §. patitur 2. inst. eod. Dominus per servum d. l. item apud 15. §. prator ait 34. & §. si quis 35. §. interdum 45. ff. b. t. §. servus 3. inst. eod. Maritus per uxorem, Sponsus per sponsam d. l. 1. §. penult. d. l. 15. §. sponsum 24. ff. eod. l. injuriarum 2. c. eod. d. §. patitur inst. Contra autem si viro injuria facta est, uxor injuriarum agere non potest, quia defendi uxores à viris non viros ab uxoribus æquum est *d. §. 2. inst. b. t. l. quod si 2. ff. eod. etiam socer nurus nomine, cujus vir in ejus potestate est, injuriarum agere potest d. §. 2. inst. b. t. Item Principes; Magistratus, Præceptores & Episcopi, per Consiliarios, subdi-**

tos

eos, cives, discipulos & Clericos injuriam patiuntur *ad. ll. Copp. 2<sup>o</sup>*  
*obs. 81. n. 1.* sive sciat is, qui infamandi virus evomuit sive ignoret,  
eos in quos injuriam emisit, in mea esse potestate nihil interest *d.*  
*l. 1. §. 8. ff. b. t.* Magistratui porro injuria fit: eamq; persequi po-  
test, si ejus satelliti suum munus obeuntivis & injuria facta sit.  
*Vvesenb. w. b. n. 6* hæredi per defunctum, ut si cadaveri defuncti  
injuriam infert, vel famam alicujus defuncti lacerat *l. 1. §. Si forte*  
*4. §. quotiens 6. ff. b. t. Berlich. p. 4. conclus. 69. n. III.* eadem  
quoque ratio est in fratribus agnatis & cognatis & qui de familia  
sunt *Copp. d. obs. 81. n. 2. l. 1. §. 2. ff. de liberal. caus.* ita quoque, ut  
si alius non adsit, qui pro ijs litiget, tunc facultas datur matri vel  
filiabus vel sororibus ejus, cæterisque mulieribus, quæ de cogna-  
tione sunt, vel etiam uxori adire prætorem, & hoc judicare, ut  
causa cognita & invito succurratur *l. amplius 3. ff. de liber. caus.*

(b) Immediate infertur injuria in alicujus propriam personam  
directò ut puta patri familias vel matri familias vel domino *l. 1.*  
*§. 3. ff. b. t. Schneid. ad §. patitur autem 2. inst. b. t. in prin.*

## VII.

Egimus supra de personis quibus injuria inferri pos-  
sit (a) nunc subnectemus, quid requiratur, si aliquid  
in ejusmodi personas commissum sit, ut pro injuria  
computari possit. (b)

(b) Omnes enim injuria affici possunt, etiam ij qui injuriam  
perpetrare non possunt. *vid. sup. thes. 5. lit. a.*

(b) Præcipuum autem & principale requisitum est animus in-  
juriandi, fit enim injuria ex affectu & malo proposito *d. l. illud re-*  
*latum 3. §. 1. Et l. seq. ff. d. injur. l. simon. 5. l. cui liberos 9. C. eod. l.*  
*qui servum 34. in prin. ff. de O. & A. adeo necessarius est animus &*  
*dolus, ut his non intervenientibus condemnatio fieri nequeat.*  
*Dan. Moller. ad const. Saxon. p. 4. const. 42. num. 24.* sed si quis  
verba injuriosa protulerit, prætendat vero se animum

B

in-

injuriandi non habuisse non excusatur nisi manifesto id probaverit. *l. si non 5. C. de injur. se non animo injuriandi fecisse.*

LIX.

Et licet in dubijs animus injuriandi semper præsumatur (a) aliquando tamen hæc præsumptio per contrarias probationes eliditur (b).

(a) Nemo existimandus est, dixisse aliquid, quod non mente agitaverit. *l. labeo 7. ff. de supell. legat.*

(b) Sufficit interdum per conjecturas malum animum à se abfuisse, probare, *Heig. d. l. n. 39.* circumstantia namque facti animus cujuscunque, & an dolo malo quid factum sit vel secus, explicat *Dan. Moller ad. d. consil. 42 n. 3. E. G.* si à parente filius, vel à magistro discipulus verberibus exceptus sit, emendationis non injuriæ gratia videntur adhibuisse. *l. aut facta 16. §. causa ut. 2. ff. de pæn. uti & senioribus propinquis permessa est correctio in minores l. unica C. de emendat. propinq. l. item quaritur 13. §. item Julianus 4. ff. locat. Gail lib. 2. obs. 106. num. 6. in fin.* ubi addit distinctionem ex Saliceto, aut enim is, qui injuriam fecisse dicitur talis est persona, quæ præsumptionem injuriæ cessare facit per *dd. U.* aut verò talis quæ non facit cessare: sed quid, si ejusmodi conjectura, vel præsumptiones locunt non sortiunt: Quaritur inter *Dd.* an etiam juramento se possit liberare, quod nimirum verba injuriosa animo injuriandi non protulerit? Sunt nonnulli qui hoc simpliciter negant, nonnulli cum distinctione affirmant, inter quos est *Heigius*, qui reum ad juramentum purgationis quidem admitti statuunt, dummodo reus præsumptiones aliquas pro se allegare possit. Alij hoc simpliciter affirmant, quorum sententiæ nos quoque subscribimus, juramentum purgationis omnino deferri potest reo *l. lex Cornelia 5. §. hac lege 8. ff. de injur.* injuria enim absque animo injuriandi fieri nequit *l. illud 3. ff. h. v. animus* autem neque tangi neque videri, neque

neque percipi potest, itaque non aliter quam juramento probatur, & imponitur hoc juramentum pro circumstantijs ex officio judicis secundum *Novell. Elect. Augusti 22. p. 1.* ubi *Obwohl das juramentum purgationis Bornehmlich in Pömlichen vñnd in Ehesachen / auß Richterlichen Ampt / do es auch nicht geben / den Beklagten / wo eine Rechtliche verdacht wieder ihn außgeföhret / kan anßerleget werden / so hat es doch in causis civilibus Stad &c. potest. autem innocentiæ, quia in animo consistit, regulariter jurejurando probari. l. furti 6. §. sed etsi 4. ff. de his qui not. infam. l. non condemnatos 18. C. eod. actus quoque agentium non operantur ultra eorum intentionem. l. non omnis 19. ff. si cert. petat. Dan. Moll. ad p. 1. constit. Saxon. 23. in fin. pro innocentia rei probanda multa admitti, quæ alias non admitterentur per auctores à Mollero d. l. allegatos *Gail. 2. obs. 106. num. 3. coler. decis. 161. n. 42. Dan. Moll. in comment. ad constit. Saxon. p. 4. constit. 42. num. 16. in fin. Berlich. conclus. 60. num. 13.* Porro inter Dd. hic quæri solet : An juramentum purgationis in actione injuriarum actori referri possit ? Nobis arridet negativa quia hoc juramentum à lege vel iudice non à parte parti deferretur per *l. admonendi 31. ff. de jurejur. l. bona fidei 3. C. de reb. credit. §. jurei.* Judici non potest referri cum, iniquum sit de alieno facto alium jurare *l. Marcellus 11. §. jurare 2. ff. de action. rer. amort. neque parti vel actori per l. jusjurandum 34. §. datur 7. vers. sed nec ff. de jurejur. quia propriam conscientiam attingit Heig. p. 1. quest. 40. num. 37. & d. l. Marcellus 11. §. si quis 3. ff. rer. amort. ubi Ulp. Si quis delatum sibi juramentum referre velit nõ videtur à prætore permittendum esse. Præstito hoc juramento à reo, non obstantibus contrarijs præsumtionibus, definitivè absolvendus est. Heig. p. 1. quest. 40. num. 38.**

IX. Finis

Finis nullus alius est, quam ut per contumeliam alicujus dignitas (a) vel etiam verberibus corpus afficiatur. (b)

(a) Sine animo autem infamandi nulla committitur injuria & ex sup: allegat *LL. constat. l. 1. §. om. nemq. ff. b. t. VVesenb. π. ff. b. t. n. 9. vid. thes. 2. sup.*

2. (b) Vid. eand thes. 2. sup. sed hic solet moveri quæstio, An etiam Magistratus, qui aliquem injustè, id est, sine iudicijs vel præter modum, torturæ subjecerit, actione injuriarum conveniri possit? Nobis affirmativa placet, confirmatque nostram sententiam *l. itē apud. 15. §. prator ait 34 in fin & §. quæstionem 41. l. jubemus 4. C. ad L. Jul. repet.* Hodie in nostro foro Magistratus propria auctoritate non potest aliquem torturæ subijcere, sed omnis iudex primum debet petere collegij alicujus juridici sententiam, antequam subiciat reum torturæ, & si absque ejus sententia hoc fecerit, poterit conveniri ad pœnam corpori infligendam ad relegationem, & ad omnium expensarum restitutionem, interdum pœna mortis affici possunt, si reum inhumano modo (*Unmenschlicher weise*) torqueri curaverit, morsque insecta fuerit *Coler decis. 161. n. 9. Rotschitz in process. p. 2. art. 11. sect. 12. n. 5.*

## X.

Scriptis fieri solet, puta si quis libellum aut carmen aut historiam (vulgo ein Paßquil) (a) ad infamiam alicujus scripserit, composuerit, ediderit, dolove malo fecerit, sive proprio, sive alterius nomine ediderit, vel etiam sine nomine (b).

(a) *l. lex Cornelia 5. §. si quis librum 9. l. seq. §. 6. ff. b. t. 11. inst. eod. l. item apud 15. §. si quis libello 29. ff. eod. t. l. unica C. de famos. libell.*

(b) Et si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis fit *d. l. 5. l. quod senatus Consultum 6. l. item apud 15. §. 29. ff. eod. VVesenb. in π. ff. b. t. n. 19. Harpp. ad §. 1. inst. de injur. n. 151. nec interest an nomen illius,*



illius, in cuius infamiam libellus est scriptus, reperiatur an non  
*d. l. Senatus consultum 6. ff. b. t. dummodo* ex quibusdam conje-  
cturis colligi, aut per inquisitionem indagari queat, in cuius infamiam promulgatus *Harpp. in §. injuria n. 157.* Quæri hic solet,  
An si is, qui ejusmodi famosum libellum ediderit, dixerit, se probaturum ea, quæ in isto famoso libello comprehenderentur, excusetur à pœna constituta in ejusmodi autores famosorum libellorum? De jure civili textus quidam videntur pugnare pro affirmativa, eum nempe excusandum & quidem *l. unica C. de famos libell. § l. eum qui 18. in prin. ff eod.* ubi qui per famosum libellum alicui crimen objiciat, probatque, non solum à pœna ordinaria famosi libelli excusatur, sed etiam laudem maximam & præmium consequitur. Verba legum harum si rectè introspectantur sat clara sunt, si nempe Reipub. interfit crimen hoc publicari, & diffamans per legitimum modum adit magistratum diffamationemque tradit, addit nomen omniaq; se probaturum promittit quæ libellus iste contineat, tunc omnino excusandum esse putant & de eo casu LL. has intelligi volunt *Dan. Moller. ad constit. Elect. p. 4. const. 44. n. 5. vers. deinde § in eo jure, § consult. Saxon. p. 4. quest. 11.* si vero famosum libellum absque nomine promulgaverit per vulgus, nec magistratum legitimo modo adjerit, tunc statuunt eum puniendum, mitiori tamen pœna, nam judicialiter ad probationem criminis se offerre debuerat, non per clandestinas suggestiones, & extra judiciales diffamationes proximum lædere *Heig. p. 2. quest. 31. n. 44.* hoc tamen *addit n. 43.* si crimen objectum per famosos libellos verum tunc ad mitigationem pœnæ, veritatem à judice approbatam, aliquid valere debere. Contrarium hodie in praxi quotidie observatur sive probat sive non, tamen puniendus est test. *Mynsing. cent. 4. obs. 4. n. 2. P. H. D. Corol. V. c. 110* Vnd ob sich auch gleichwol die auffgelegte Schmach der zugemessenen That in der Warheit befindet sol dennoch der auffrüffer solche Schmach nach vermöge der Rechte/ vnd ermäßigung der Richters gestrafft werden. quam opinionem etiam veram esse de jure Saxon. probat *constit. Elect. p. 4. const. 44. ubi da er gleich solches folgens köntten ausführen das derselbe gleichwol auch wülfürlich*

wülfürlich/ entweder mit Stauenschlagen/ Verweisung oder Gefängniß/ nach gelegenheit der verbrechung gestrafft werden soll.

XI.

Si jam ejusmodi libellus famosus compositus editusque sit in alterius infamiam: quæri posset quamnam afficerentur pœna: Et cum jura non conveniant in infligenda pœna ijs, qui famosos libellos promulgaverint: recitare nobis libet pœnas, quas tam jus Canonicum (a) civile (b) quam jus Saxonicum constituit (c)

(b) Jure canonico quidem, qui in alterius famam publicè scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur: hæc pœna non solum in autore locum habet, sed etiam in eo, qui prius invenit, & non repuerit, interdum quoq; excommunicantur *c. qui in alterius l. c. quam maligni 2. caus. 5. q.*

(b) Jure Civili vero novissimo ex constitutione Imperatoris Valentini & Valentis capitalis est *l. unic. C. de famos. libell.* Utrum autem *d. l. unic. C. de famos. libell.* accipienda sit de pœna mortis, an verò de mitiori pœna nempe exilij Dd. non conveniunt, Cum si in pœnalibus verba Legis ambigua sint, mitior lex semper sequenda, & interpretatione Legum molliendæ potius sunt, quam asperandæ *l. interpretatione 42. l. si præsens 32. l. Sancto legum 41. ff. de pœn. l. 9. C. l. 56. l. 192. S. 1. ff. d. R. 7.* Quia pœna capitalis non tantum dicitur illa jure civili, quæ damnato vitam, sed etiam quæ libertatem & civitatem adimit, adeoque caput civile tollit *l. 2. ff. de pœn. ubi rei capitalis damnatum sic accipere debemus, ubi vel mors vel etiam civitas amissa vel servitus insecuta sit l. 2. ff. de publ. judic. l. capitalium 28. ff. de pœn. l. licet capitalis 103. ff. de V. S. l. edictum prætoris 13. ff. de bon. poss. l. qui cum 14. S. is. demum 3. ff. de bonis libert. & plurimi allegari possent textus*  
statum

Stamus ergo ex eorum sententia qui legem hanc in stricta signifi-  
fica one non accipiunt. His tamen positis non statim simplici-  
ter negamus, nunquam poenæ mortis locum esse adversus eos qui  
famosos libellos edunt, sed tum demum si crimen in libellis ex-  
pressum sit capitale: tunc etiam poena talionis locum habet  
(nempe mortis) quam sententiam communiter statuunt au-  
tores allegati à *Berlich. p. 4. conclus. 67. num. 9. Heig. p. 31. p. 2.  
num. 45.*

(c) Jure Saxon, ut Colerus vult, famosorum libellorum &  
cantilenarum, quæ tendunt in alterius contumeliam, divulga-  
tores fustigantur cum relegatione *decis. 154. num. 3.* & non solum  
relegantur, sed capite possunt plecti secundum *text. in Landr. lib. 2.  
art. 16. in glos. vers. Wer schändliche brieffe anhengt / oder der sie  
finder / vund offenbar mache / den sol man auch Enthaupten &c.*  
quod verum secundum supradicta, puta si crimen objectum  
sit capitale, tunc procedere secundum Caroli V. constit. crimi-  
nal. no. ubi welcher jemand durch schmachbrieff etc. Sol mit  
der Poen / in welche er den Unschuldigen geschmächten durch sei-  
ne Unwarhafftige Lasterchrift bringen wollen gestrafft werden /  
quam sententiam confirmat *Augustus Elect. Sax. in suis Novell.  
p. 4. const. 44.* ubi Bey diesen allgemeinen Rechten / Reichs-  
constitutionem vñnd Sanctionem lassen wir es bleiben etc.  
*Dan. Moll. in comm. ad const. Sax. part. 4. const. 44. num. 3. Petr.  
Heig. d. l. G. n. Vvesenb. in w. de injur. num. 19. in med.* Huic  
sententiæ & nos subscribimus de hodierna observantia in  
foro Saxon.

## XII.

Porro pro vindicanda injuria agitur Civiliter  
& criminaliter. (a)

(a) §. in summa 10. inst. de injur. l. ult. C. eod. l. quod setm. 6. ff.  
eod. Donell. lib. 18. comment. 6. 8. *Berlich. conclus. 61. num. 1. ubi  
vocat*

vocat eam communem Dd. opinionem, ita tamen ut una intentata altera deneganda sit d. l. quod Scitum 6. in fin. ff. b. t. l. prator edixit. 7. ff. eod. Wesenb. in w. n. 14. b. t. Gail. lib. 1. obs. 65. num. 1. quia utraque ad vindictam tendit l. 2. §. emancipatur 4 ff. de Collat. bon. Nisi actio civilis ex l. Aquil. intentata tendat ad damnum & interesse, tunc enim ea cum criminali bene cumulari potest, & si quis criminaliter egit, postea actione l. Aquilæ civiliter ad damnum & interesse agere non prohibetur & è contra per l. qui cervum 34 ff. de O. S. A. Mynsing. cent. 1. obs. 25. Gail. lib. 1. obs. 63. n. 9. Wesf. in w. d. l. Tradit Harpp. in §. in summa autem 10. inst. b. t. n. 60. rationem, cum utriusque non idem sit scopus aut finis: quia civile iudicium ad rem familiarem, sarcendumque damnum datum pertinet: criminale verò ipsius maleficii ultionem l. unica C. quando civil. act. criminal. prejud.

### XIII.

Civiliter intentari actio injuriarum dicitur, quando actor injuriæ maculam sibi illatam æstimat, ac certam pecuniæ summam vel quantitatem, pœnæ loco reo imponi, sibi que salva tamen, iudicis moderatione applicari petit (a) Agitur etiam ad palinodiam sive recantationem auf einen Wiederruff (b) Quæ utrum civilis an criminalis sit videbimus (c).

(a) §. in summa autem 10. inst. de injur. l. constitutionibus 37. ff. eod. Ut pote si in libello ponat se malle carere centum vel mille vel etiam pluribus florenis, quam talem sibi illatam injuriam, in ultam relinquere Gail. 1. obs. 65. n. 2. facta æstimatione injuriarum ab actore iudex vel tanti reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit vel minoris, prout ei visum fuerit §. pœna autem 7. inst. b. t. adhibita tamen ratione non solum injuriæ, quæ perpetrata est, sed etiam personæ, graduum, dignitatis, vitæ & honestatis, æstimationem instituat, vel augendo vel minuendo, in quantum scilicet ei æquum & justum vitum fuerit Borchalt. in d. §. pœna autem 7. inst. b. t. l. sed & si 17. §. 2. 3. & 5. ff. eod. Wesenb.

in

*in d. §. pœna autem 7. inst. h. t. l. sed & si 17. §. 2. 3. & 4. ff. eod. VVe-  
senb. in w. b. t. n. 15. An verò æstimationem illam actor in libello  
teneatur exprimere, an verò arbitrio judicis relinquere possit  
quæritur? Nobis communior placet sententia, quod tutius sit,  
ut injuriam suam æstimet, certamq; quantitatem in libello perat,  
salva tamen judicis taxatione VVesenb. in π. h. num, 16. si autem  
juramentum intercedat, quod actor juret, se summam illam pe-  
cuniæ nolle accipere, & ferre injuriam sibi illatam, & in quan-  
tum jurat actor, in tantum judex reum condemnat d. § pœna  
7. inst. h. t. Schneid. h. §. num. 4. Jure Saxonico æstimatio inju-  
riæ non habet locum Landr. lib. 3. art. 45. sed certa pœna con-  
stituta est ultra quam pars rea condemnari non potest per const.  
Augusti p. 4. const. 42.*

(b) In Kånserlicher Kammer Gerichts Ordnung p. 2. l. 28.  
Elect. Augusti const. 42. p. 4 §. nach dem in sin ubi dem beschwerten  
vnd injurirten Theil / nach befindung der Unschuld einen offens-  
lichen wiederruff zu thun schuldig seyn.

(c) Nos civilem esse affirmamus, ex hac ratione, quia non a-  
gitur ad pœnam fisco applicandam, quod in criminalibus omni-  
no necessarium Aruma. exercit. 17. th. 3. Treutl. d. 30. thes. ult. lit.  
a. Mynsing. cent. 2. obs. 98. VVesenb. in π. num. 18. d. injur. Gail. lib.  
1. obs. 65. num. 3. Harpp. ad §. in summa autem inst. h. t. n. 64. ubi §  
num. 70. Fit autem revocatio per nullum alium, quam per eum  
ipsum qui injuriam intulit Zang. de except. p. 3. c. 3. n. 19. ubi quod  
per delinquentem fieri necesse sit, ejus nullam esse novationem,  
Publicè in judicio revocare cogitur, idque manu propria, per-  
cussio ore, quod si id recuset lictoris executioni id mandari solet  
Moller. 1. semest. c. 23. n. 2. Eodem modo si injuriam revocare  
reus nolit, tum pro qualitate personæ, vel carcere, vel pœna  
pecuniaria, aut alijs modis, quibus judex jurisdictionem suam tueri  
potest, coercetur, donec pareat sententiæ Moll. d. l. n. 1. idque ita  
observatum esse testatur idem.

#### XIV.

Criminaliter autem intentatur actio injuriarum,

C

quano

do nihil parti applicari petitur, sed ut vel poena corpori infligatur (a) vel ut poena pecuniaria fisco solvatur (b)

(a) §. In summa 10 inst. b. t. l. ult. C. eod. Wesenb. in π. b. num. 14. Et tunc quidem extra ordinem puniuntur, humiliores quidem fustibus subijei possunt, ceteri verò exilio temporali vel interdictione certæ rei d. l. ult. vel ordinis amotione vel relegatione affici solent l. qui injuriarum 42. ff. b. t. vid. plura thes. ult. inf. pro arbitrio judicis & personarum dignitate & qualitate irrogantur §. poena autem 7. inst. eod. Gail. obs. 65. lib. 1 Borcb. in comment. ad inst. ad §. in summa 10. num. 8. b. t. Pedius 4 §. 1. ff. de incend. & ruin.

(b) Borcb. d. l. n. 7. in fin. hodie extra ordinem puniuntur, quia id publicæ disciplinæ vigor postulat l. locatio 9. §. quod illicitis ff. d. publ. & vectigal. & commiss. Gail. d. l. num. 2. VVesenb. in π. d. l. num. 16.

### XV.

Subijciendum nunc restat, quibus detur hæc actio; & datur hæc actio injuriarum, non tantum ei, qui injuriam est passus, sed etiam omnibus ijs, quorum interest, ut parentibus, marito &c. & ita interdum ex una injuria tres oriuntur actiones, neque ullius per aliam consumitur (a) Et non solum is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, verum ille etiam qui dolo fecit, vel qui procuravit (b) tenenturque omnes in solidum, is, qui præbuit ansam & qui perpetravit. (c.)

(a) l. 1. §. fin ff. §. patitur autem 2. & seq. inst. eod. ex quibus personis nobis competat agere injuriarum sup. th. ii. prolixè egimus.

(b) l. non solum 11. b. t. §. si mandatum 3. 4. 5. & 6. ff. b. t. §. non solum 12. inst. eod. l. item apud 15. §. 2. & 17. ff. eod. quia quod quisque per alium facit ipse fecisse dicatur l. 1. §. de jecisse 12. ff. de vi & vi armat. l. sed si unius 17. §. 2. ff. b. l. in furti 50. §. 1. & seqq. ff. de furt. Treutl.

*Treutl. d. disp. 30. rhes 6. l. nihil interest 15. §. 1. ubi mandator cœdis pro homicida habetur ff. ad L. Cornel. de sicar.*

(c) *l. vulgaris 21. §. fiduo 9. ff. de furt. ubi duo tignum furati sunt quod singuli tollere non potuerunt, uterque in solidum tenetur l. si plures 6. in prin. ff. de arbor. furtum l. si quis 7. in fin. ff. de jurisd. l. item Mela II. §. 1. 2. §. 4. l. semper adversus 15. §. si in sepulchro 2. ff. quod vi aut clam. tot enim sunt injuriæ quot personæ. l. si plures 34. ff. b. & quia in delictis quisque obligatur ex suo dolo in solidum, & pluralitas circumstantiarum plures efficit injurias VVesemb. w. n. 5. h. t. neque pœna ab uno præstita alios liberat l. 1. C. de condit. furtiv. nam quod à pluribus fit pro indiviso singulos in solidum obligat l. semper 15. §. 2. ff. quod vi aut clam. Hottom. illust. 9 33.*

## XVI.

Hucusque de actionibus injuriarum, quibus etiam competant vidimus: Nunc in quos locum habeant: Neque enim hæredi neque in hæredem datur (a) neque liberis vel libertis contra parentes & patronos (b)

(a) *l. injuriarum actio 13. in prin. l. item apud 15. §. injuriarum 14. ff. b. t. §. 2. instit. de tempor. & perpet. act. l. pupilli III. §. 1. ff. d. R. J. l. inde Neratius 23. §. hanc actionem 8. ff. ad L. Aquil. ratio est, quia delicta debent tenere suos autores l. 1. §. fin. ff. de privat. delict. l. sed si 17. §. si jussu 7. ff. d. injur. nisi defunctus litem fuerit contractus d. l. injuriarum 13. in prin. ff. eod. l. omnes actiones 139. l. pœnaliam 164. de R. J. l. omnes actiones 26. l. sciendum 58. ff. de O. & A. l. unicus. C. ex. delict. defunct. l. fin. ff. de fidejuss. & mandat. tut. & curat. §. 1. in fin. inst. de temp. & perpet. act. quia litis contestatione quasi contrahitur l. licet. 2. §. idem scribit II. ff. de pericul. & per eam actiones perpetuantur l. nam posteaquam 9. §. si is 3. in fin. ff. de jurejur.*

(b) *l. non solum II. §. 7. ff. b. t. l. 2. ff. de obseq. parent. & patron. præstand. quia est actio famosa, rei ipsa & opinione hominum non effugiunt infamiae notam d. l. 2. datur autem interdum liberis, qui*

non amplius sunt in potestate, puta emancipatis *d. l. 7. §. 2. & 3. ff. b. t. actio injuriarum si atrocitas id suaserit, ijs autem qui sunt in potestate prorsus nulla datur actio, etiamsi atrox fuerit injuria. l. prator edixit 7. §. sed & si 3. ff. de injur. l. qui accusare 8. in fin. ff. de accusat. in factum autem datur ijs actio l. hi tamen 11. §. 1. ff. d. t. l. non debet 11. in fin. ff. de dol. mal. l. 1. §. interdictum 43. ff. de vi & vi armat. si tamen atrox injuria existenti in patria potestate inferatur à parentibus, tunc coguntur eum parentes emancipare *Schneid. ad §. atrox. inst. b. t.* Patria enim potestas non in atrocitate sed in pietate consistere debet *l. divus 5. ff. de L. Pomp. de Parricid.**

### XIX.

Progredimur jam ad contraria, quibus modis actio injuriarum tollatur: Et tollitur varijs modis, morte (a) dissimulatione sive tacita remissione (b) item præscriptione seu tempore, puta si intra annum instituta non fuerit (c) nudo pacto. (d)

(a) Ut enim mors omnia solvit *Novell. 22. c. 20. & Godof. ibid. in not.* ita tam injuriantis quam injuriati morte solvitur actio injuriarum *per. l. injuriarum 13. in prin. & l. item apud 15. §. injuriarum 14. ff. b. t. l. si eum π. §. qui injuriarum 2. ff. si quis caut. in judic. & c. Schneid. §. ult. num. 3. inst. b. t. aliter autem se res habet post litis contestationem, tunc enim non pereunt sed transeunt in hæredes *l. omnes 26. ff. de O. & A. ut in thes. preced. lit. a. videre est.**

(b) Ut puta si quis dissimulet & ad animum non statim revocet, postea ex pœnitentia remissam injuriam non poterit recolare *§. fin. inst. b. t. l. non solum 11. §. injuriarum 1. ff. b. t. V. Vesenb. in π. b. n. 13. ut si quis cum injuriante ludit, bibit, comedit, manus porrigit, vel alias cum eo familiariter conversatur Schneid. ad §. ult. inst. b. t. n. 13. Harp. §. fin. inst. n. 1. Landr. lib. 3. art. 31. vers. diese zwe instantien in medio vers. Denn also gethane sachen die mag*



mag man vergeben vnd nachlassen mit gelibden/vnd mit Spielen/  
Essen vnd Trincken vnd mit allen freundlichen Wercken / die einer  
mit einem pfleget/damit er freundschaft hatte etc. *plura qui vult  
late vid. Prosper. Farinac. quest. 105. inspect. 8. n. 34. Jodoc. Damb.  
c. 136. n. 12. & seq. ad quos brevitatis gratia eum remitto.*

(c) *l. si non convicijs. C. de injur. l. sed si 17. §. 6. in fin. ff. eod.* An  
verò anno utili, an anno continuo actio injuriarum præscriba-  
tur. 2. utrum annus à tempore illatæ injuriæ, utrum à tempore  
scientiæ currat? Quidam volunt ab initio modo esse annum uti-  
lem, postea fieri annum continuum, de hodierno jure Saxon. ex-  
pressum plane habemus textum in *const. Elect. Augusti*, ideo-  
que statuimus annum non currere à tempore illatæ injuriæ, sed  
à tempore scientiæ quod probat *const. Elect. Augusti 46. p. 4.* ubi  
Dieweil die Rechte Ordnen vnuud sehen/ daß die wörtliche injurien  
in Jahrsfrist præscribiret werden/ so lassen wir es dabey bleiben/  
jedoch wollen wir/ daß die Verjährung von der zeit an/ als der in-  
juriatus solche injurien erfahren vnd zu wissen bekommen hat/ ge-  
rechnet vnd zulauffen angefangen werden/ hæc autem non locum  
habent de injurijs realibz ut præsertim sunt Kampffer oder Bein-  
schrötige Wunden etc. quæ de jure Saxon. non nisi longo tem-  
pore præscribuntur. 2. 30. Jahr/ Jahr vnd Tag præscribiret vnd  
Verjahret werden *d. const. 46. §.* So viel aber *in fin. Dan. Moller.  
in commentar. add. constit. 46. n. 10.* quod & de famosis libellis in-  
telligi volumus qui non anno præscribuntur, rationem addunt  
quod scriptura sit perpetua, semper maneat, semperque loquatur  
*Gail. 2. obs. 104. Petr. Heig. quest. 31. n. 14.*

(d) *si tibi 17. §. quadam 1. ff. de pact. l. non solum 11. §. 1. in fin. l. sed si  
17. §. si autem 6. ff. h. t.* aliter autem injurians cum altero nempe  
injuriato de injuria illata pacisci & transigere non potest absque  
infamiæ nota, quam gratuito & sine pretio *l. furti 6. §. pactus 3.  
3. ff. de his qui not. infam. l. non damnatos 18. C. ex quibus caus. infam.  
irroget.* Ratio est, quod qui data pecunia de injuria paciscitur  
confiteri crimen intelligatur *l. Quoniam 5. ff. de his qui not. infam.*  
& nemo tam resupinus est, ut facile suas pecunias jactet & inde-  
bitas effundat *l. cum de indebito 25. vers. si verò ff. de probat*

2.

confessus pro iudicato est l. 1 ff. de confess. qui pretium dat, præsumitur non sine causa, sed ex conscientia delicti pretium dedisse  
*Vvesenb. π. ff. de his qui not. infam. num. 5. Gail. 2. obs. 102. n. 7.*

## C O R O L L.

Quæritur quidnam iudici pro injuria, si criminaliter intentata sit, pœnæ nomine debeat? Et de jure Saxon. veteri cum pœna constituta sit in delinquentes Landr. lib. 3. art. 45. vers. den Schöppenbarn freyen Leuten gibt man 30. Schilling zur Buß recedere iudices propria autoritate non potuerunt, aliter autem observatum in rusticis, qui modo quindecim solidos habent Landr. d. l. ante med. vers. Den Bawergülden / Sc. den gibt man 15. Schilling zur Buße / aliter in mulieribus, ubi quælibet mulier live uxor sui mariti dimidiam mulctam solvit Landr. d. l. dan man Weibern vmb die Schmach so man ihnen anleget / nur eine halbe Buße gibt / Also hinwieder / wann sie jemand schmähen geben sie auch nur halbe buße. Hodie autem non amplius in usu sunt, sed quilibet iudex pro qualitate delicti personarum & circumstantiarum punit injuriantes.

Quæritur hic an etiam pœnæ th. ii. expressæ locum habeant in eo, qui famosas picturas in alicujus contumeliam pinxerit? Movet ut affirmativam amplectamur Recessus Imperij habiti An. 1530. vers. Vnd nach den durch die Vnordentliche Druckererey etc. item An. 1548. tit. Von Schmähschriften / Gemählts vnd gemachs etc. & Spira Anno 1570. §. Zum andern sol auch kein Buchdrucker cum 2. §§ seqq. & Francofurti Anno 1577. tit. 35 quam sententiam confirmat etiam Elector Dux Saxon. in constit. p. 40 const. 44, Dan. Moll. in comment. ad d. Const. 44. p. 4. n. 4.

Harp. in §. injuria i. inst. de injur. n. 152. Et hæc pro imbecillitate de materia injuriarum sufficient.

Soli Deo Laus Honor & Gloria.



Ad

Doctum & politum Re-  
spondentem

**P**rae la subis Themidos declinans praelia Martis,  
Hic rapit, amissas illa reportat opes.  
Utrum sit melius non queres: ambo fuerunt,  
Ut vitium & virtus, dissociata mihi.  
Praemia sunt diversa: Themis portabit honores,  
Vulnera Mars, mentis Mars mala signa mala.  
Famosos spargit libros, injuria quævis  
Ladendo socios inde ferenda venit.  
His Themis opponit leges, pœnasq; minatur,  
Et quemvis tutum sistit ab hoste virum.  
Talia discendo consumis tempora: disce,  
Discendo fies magnus in ore boni.  
Hoc primū specimē cathedrae quod publicus offers.  
Prae la subire licet, bella movere nocet.

M. Michael VVendlerus.

Ad

Ad Præstantissimum Dn.  
Respondentem Amicum & Con-  
terraneum suum dilectum.

Pervigili studio, quid sit defensio famæ,  
His, thesibus tractas nec sine laude probas,  
Ergò tibi ex ànimo grator de talibus ausis,  
Quæ sunt grata probis, grata, probata Tuis.  
Pergito: decernent hoc proemia digna labore  
Et patriæ Proceres, & Themis alba tibi.

*Rudolphus Hanisus Servestâ  
Anbaltinus.*

FINIS.



Ka 4574

(3a)

ULB Halle

3


007 376 790



WOLFF  
M







III.  
DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
**INJURIIS ET**  
**FAMOSIS LIBELLIS.**

an 2

*Quam*  
DEO Auxiliante  
*ET*  
*Approbante in Illustri ad Albim Ictorum ordine*  
PRÆSIDE  
*Viro Amplissimo Consultissimo & Excellentissimo*  
**Dn. HENNINGIO Grossen**  
J.U.D. Profefs. Publ. Curia Electoralis & Facul-  
tatis Juridicæ, nec non Judicij Provincialis in inferiori Lusatia  
Assessore gravissimi & Serenissimi Vidua Elect. Saxonæ in Eich-  
tenburg &c. consiliario, Domino Præceptore & Promotore suo  
æterno honoris & observantiæ cultu prosequendo.  
*Placida disquisitioni publicè proponit.*  
**CHRISTOPHORUS von JENA** Servesta  
Anhaltinus.

Habendam ad diem 14. Novembr. In auditorio  
Ictorum horis à 7. matutinis.  

---

*WITTEBERGÆ,*  
Excusa typis AMBROSII ROTHII Acad. Typogr.  
**ANNO M. DC. XXXV.**

